


Lehmann

Demoralitas

ligarniae

1759.





DE
MORALITATE BIGAMIAE
SUCCESSIVAE
PAVCULA COMMENTATVS

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO
D O M I N O

ERNESTO SIMONI
LEHMANNO

PARENTI SVO VENERANDO
NVPTIAS DENVO ITERATAS

EX ANIMO GRATVLATVR
EASQVE IVBET ESSE AVSPICATISSIMAS
FILIVS OBSEQUENTISSIMVS

CHRISTIANVS GOTTHILFF LEHMANNVS

Hr 3347 IVR. VTR. CVLTOR.

L I P S I A E,
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

CAIMADIS ETATRITIAGI
DAVIDS GOOD
SUTATIUS
A E T O
GUTTENBERG
D O M I N O
E R N S T O T T M O N I
B E D R I C H
K A M P F
L E O P O L D
M A Y R
M A Y R
M A Y R





Multae aliae societates praecessere statum illum ci-
uitatis , qui homines exuta naturali libertate ,
imperio subiecit , omniumque voluntatem ad
vnius arbitrii composuit . Harum quidem fa-
cile prima est , quae marem inter ac foeminam
de mutuo auxilio soboleque procreanda iniebatur . Haec vti
antiquissima , ita se se quam maxime a simplicitate , omnis
expers imperii , commendabat . Quod tamen aequalitatis stu-
dium statim deferbuit , ex quo , huic quasi principali , acces-
soria quaedam parentum ac liberorum addebatur societas .
Quae , quamvis , si veriora Iuris naturae principia inspicias ,
nullam patiatur libertatis deminutionem , cum patriae potesta-
tis nomen huic Iuri prorsus est incognitum ; ansam tamen
praebuit , quo magis singuli homines singularem vitae condi-
tionem desererent , et ex eiusmodi exiguis conuentionibus
oriretur Imperium . Quae cum ita sint , matrimoniumque
natales suos repeatat a tam longa aetate , ac tam eximios rei-
publicae afferat fructus , patescit quid tandem sit , quod eius
causam leges naturae hominumque tantis instruxerint prae-
sidiis !

A 2

XII



sidiis! Miram hinc videoas licet pugnain, quae inter vtriusque generis leges coorta est, et quae, si vnquam alias, in quaestionibus certe de matrimonio prolatis, omne illud infringit confortium, quod naturae hominumque leges intercedere solet. Nam, cum Ius illud, quod ex ipsa natura hau-simus, matrimonium non in eo ponat, vt circa sobolis procreationem paciscamur, ea enim vt actus physicus pacti obiectum esse nequit, sed id tantum libidinis explendae causa constituerit; omnis etiam hoc iure actus licebit, per quem nec vis pacti, nec ipsa pax externa laedi videtur. Ex parte vero Iuris positivi, longe aliam deprehendimus matrimonii rationem. Quae enim huius iuris dos est praecipua, quod legibus naturae per se simplicioribus, omnique ornatu tanquam veste detractis, aliquid addat: ita hoc iure quaeri iam coepit, num, qui matrimonium petunt, mutuum, quod vocant adiutorium inter se consequi, praecipuumque finem, sobolis procreationem obtinere queant. Suo iure itaque sibi agere videbantur, legum humanarum conditores, cum omnem omnino vagam coercerent libidinem, ac quicquid speciem saltem nefandae libidinis praese ferret, id haberent exosum, ac individuam illam vitae consuetudinem, vinculum dicerent matrimonii firmissimum. Verum enim vero, magna animi contentione, momentisque vtrinque perpensis, inter se eruditii disceptarunt, cum turbas istas quas, orbi, qua cultior est, dederat bigamiae quaestio, componere studebant. Sed fefellerit! Quam parum enim istos prosecisse videoas qui aetate prope hominum elapsa, nondum conuenerant, quem Iudicem huius rei sumant, interea vero, lite adhuc pendente, Willenbergium, Dantisci bigamiae defensorem reprehendebant! Duplicem huius bigamiae vulgo constituant speciem, alteram in eo consistere dicunt, cum, coniux coniugi nouum coniugem superinducat, alteram vero cum coniux



iux superstes in coniugis demortui rogo nouas taedas nuptiales accendat: hanc successiuam, illam simultaneam appellarunt. De qua simultanea, cum plus iusto fuerit disceptatum, scholaque Theologorum, omne fere sibi huius rei vendicauerit arbitrium, nullus mihi sermo erit. Eo autem dignior mihi visa fuit, quae de successiva, vt vocant bigamia orta est quaestio, cui meam qualeincunque operam impenderem. Impendam; ita tamen, vt, quo melius rationes subducantur, paucula generatim mihi praefari permisum sit, de bigamiae vera natura ac indole. Simultanea, maximos semper experita fuit osores: non defuerunt tamen, qui causis odii amorisque facessere iussis, eius defendenda causam fusciperunt. Nec id sine iustitiae ratione. Amico enim consensu, omnia, quanta quanta sint, iuris naturae principia eius firmant usum, siue ea consideres, quae Iuris strictius accepti idea stabiluit, siue ea denique, quae officiis humanitatis innixa, perperam Iuris naturalis disciplinam turbarunt. Nulla iam dubitandi ratio suppetit, si eius permissionem defensuri, illud Iuris naturalis principium adsumamus, quod meram libidinis extinctionem admittit, ideoque, praeter quod stuprum violentum atque adulterium interdicat, nullis limitibus concludit hominis naturalis licentiam. Nec plus habere difficultatis videatur eorum adseratum, qui praeter libidinis extinctionem matrimonii naturalis alia esse volunt requisita. Quod quidem quam recte faciant, ipsis viderint! Omnes tamen eorum rationes in eo vertuntur, vt, cum habilitatem, sobolem procreandi pariter ac facultatem eandem educandi, cuius accedere debere matrimonio velint, simul haec omnia in bigamo adesse posse, dederint commonistratum. Bigamus itaque Iure naturali, omnibus istis gaudet requisitis, quae vel ipsis legum ciuilium sanctis sufficere possent. Nihil enim me mouet benedictio sacerdotalis, quae licet in ciuitate recepta altas egerit



rit radices suaque vetustate admodum sit corroborata, non
eo vsque valere potest vt naturalis iuris pulchritudo, com-
mentitio illius colore obscuratur. Turpiter enim se dant,
qui rationibus temporum non satis dispunctis, eandem Iuris
diuini esse arcte tenent, accurateque defendere conantur.
Nec minori inuolutus est errore, Peter a Ludwig, qui eius-
dem autoritate adductus, vel primitiuae ecclesiae tempora
euocat, indeque eandem, sine vlla temporis interruptione,
nostrae ecclesiae institutis fuisse accommodatam acriter con-
tendit. Optume rei naturam perspexit strenuus ille sacro-
rum a ffordibus pontificum, repurgatorum restaurator,
Lutherus, qui, cum altum hac de benedictione in
sacro codice videret silentium, eiusque vsum, si quis fuerit
Apostolorum ecclesiae, non tam publice quam priuatim re-
moto presbyterorum arbitrio, fuisse adhibitum intelligeret,
ingenue confitebatur, omnem matrimonii quaestionem non
sui ordinis hominibus, sed magistratui ciuili esse reseruandam.
Sed licet haec omnia ita fese habeant, licet laudandae iuris
naturalis simplicitatis difficultas sit exitum quam principium
inuenire, ideoque non tam copia quam modus in dicendo
quaerendus sit: Ciuitas tamen, iniusta nonnunquam legum
naturalium correctrix! bigamiam simultaneam, pestem quasi
euomuit, forasque proiecit. Contra ea, mirum dictu! quod
ne Raymundus quidem fecit, qui alias tamen semper lumine
eget, matrimonio, quod vocant, legitimo, atque qui sub
hoc, in Iure can. latere videtur, concubinatu, omnes de-
negavit iuris effectus. Iure itaque, quo vtimur in ciuitate,
haecce bigamiae species crimen audit, quod Leges Longobar-
dorum, et ipse Carolus in Nemesi sua, adulterio grauius pu-
niri iubent. vid. L. Longob. II. 13. et art. 121. Nemes. Carol.
Varias quidem mitigandi causas finxerunt Doctores, quibus,
num dispensatio principis, atque coniugis innocentis remissio

annu-



annumerari possit, adhuc sub iudice item videmus constitutam. Priorem quaestionem quod attinet, facile concederem Principi hocce in crimine aggratiandi reseruandam esse potestatem, quippe bigamia eorum criminum induit naturam, quae, licet iure diuino positivo sint interdicta, nulla tamen, vel saltem indeterminata poena coercentur. Sic homicidii poenam, principis arbitrio non subiacere contendunt, quia sit determinata nullisque exposita verborum disceptationibus, quamuis Thomasius in omnia alia discedat. Sed non aequa facile affirmanda est quaestio; num bigami poenam mitiget, coniugis intercessio innocentis? Qui affirmant iuris criminalis analogiae repudium mississe videntur. Cum enim nec in crimine adulterii duplicati, nec in sodomia, coniugis innocentis pro nocente preces id efficiant, ut poena his criminibus statuta mitigari possit, bigamia vero his criminibus, ipso Carolo confitente, crimen audiat grauius, sequitur, quod multo minus de eiusmodi mitigandi causa, sit cogitandum.

His vero concludendi rationibus, tantum abest, ut fuerit commotus illustris ICtorum Wittenbergensium ordo, ut potius in omnibus, quas videre licuit, Iuris responsionibus, adfirmatiuam tueatur. Nec decidendi ratiociniis subuenire huic sententiae defuere. Coniugatum, inquiunt, qui sibi sociaret solutam foeminam, copula interueniente sacerdotali, non adulterii duplicati sed simplicis tantum, fieri rerum, eiusmodi vero simplex adulterium facile posse dispensari. Has decidendi causas longe leuiores putarunt Lipsienses ICti, quam ut iisdem calculum adiicere voluerint, intercessionem tantum admittentes, si nulla alia, praeter sponsalium clandestinorum solemnia accesserint. Quicquid vero vltiorem de hac bigamiae specie disquisitionem praebere possit, id lumbis nunc praetereo, cum, quae disquisitiu haec tenus, alteri speciei duixerim praemittenda, quam successuam vocant, et de cuius indole



indole nunc latius loqui defungar. Qui diuersi diuersarum gentium circa eam exstent mores, nec possem nec vellem plenius excutere, quod id vilius dicendi genus centiesque dictum meo non conueniat instituto. De eius enim moralitate tantum dispicere fas est, quae in variis, quas ratio studiorum contemplari iusserat, iurium speciebus obvia deprehendebatur. Haec bigamia successiva, aliam aliamque moralitatem adipiscitur, prouti alio alioue Iure fuit determinata. Ordinamur ab iure naturali. De eo vero nihil aliud in hac successiva dici poterit, quod non iam dictum sit supra. Nescit enim, quem hic etiam fingunt, ius illud, horrorem, eundemque tanquam monstrum horrendum, ingens, cui numen ademptum est, finibus suis eiicit, quamuis eum iisdem concludere voluerit Titius, qui tamen cum paucos habeat sectatores, satisque iam refutatus fuerit a Thomasio, nos vterius non moratur. Maiori eget hac in parte, explicatione Ius romanum, quod diversis reipublicae temporibus, diuersam etiam esse voluit bigamiae successivae conditionem. In genere, maximus erat Nuptiarum fauor, cum gens romana numerosae prolis esset studiosissima. Hinc patescit, cur tanti honores decernebantur iis, qui numero liberorum facile ceteros superabant. Contra ea, qui coelibem vitam viuere pararant, iis non modo nulla dabantur castitatis praemia, verum etiam poenae imminabant rigidiores. En causam, cur nullam iis concederent testamenti factionem passiuam. Quae quidem damna coelibatus nomini proposita postea infirmarunt Imperat. Constant. in l. i. Cod. de infir. poen. coelib. Sed non solum primis Nuptiis tanta tamque eximia commoda dederunt Romani, verum etiam vinculum istud matrimonii, quod vel morte alterius coniugis, vel ipsa formula diuortii interposita soluebatur, quodam Romae tempore, id efficiebat, ut superstiti coniugi nouas nuptias repetere liceret. Quid quod! non modo id concele-



9

concessum erat cuiusuis arbitrio, adeo, ut nemo impediretur, verum etiam, necessitate iuris cogente, omniuo fieri debebat. Inunctum enim erat foeminis, ut viro fatis concessa, intra anni, diuortio vero interueniente, intra sex mensium spatium alii nuberent, nisi coelibatus poenam voluissent incurere, vid. Vlp. Fragm. Haec quidem omnia, quamuis tam certa sint quam quae certissima; quemuis tamen subit admiratio eaque haud leuis, si in vlla alia re, in hoc certe de secundis nuptiis iure, romanos inconstantiae quam maxume esse incusandos, adeo, ut studium figendi ac resigendi leges ipsis proprium fuisse videatur. Vti enim Iurispr. romana ab exiguis ducta initis tanta ceperat incrementa, ut vel ipsa sua magnitudine laboraret; ita eandem in variis Iuris capitibus trocho deprehendimus versatiliorem. Exempla vbiique prostant, nec longe sunt arcessenda. Maxumo odio habebantur nuptiae secundae, tempore, quod legem Iuliam et Papiam Poppaeam praecessit. Hac vero lege lata, id odium in maximum fauorem commutabatur. Qui fauor rursus, plusculo temporis intericto, immortali pene, quod bigamiam successiuam prosequebatur, odio cessit. Eadem fere ratione, iterum iterumque fuit immutata Lex Iulia Miscella. Haec enim lex, statim cum lata esset, odium etiam quoddam secundarum nuptiarum secum attulit. Omnem vero odii causam facessere iussérat, Imperator Iustinianus, cum in l. 2. Cod. de indict. viduit: ipsam legem sustulisset. Quiduis potius euenturum esse, qui quis credebat, quam, hancce secundarum nuptiarum permissionem, nouiter concessam ab eodem Autore, in aliam Iuris rationem inflectum iri; quod tamen opinione citius, euenit, cum Iustinianus in Nouella 23. Cap. 43. Legem Iuliam Miscellam, et, quod secundas nuptias manere debebat, odium, vim iuris habere sanxisset. Cum itaque in hac mutua, odii

843

B

faeu-



fauorisque circa bigamiam successuam, concertatione, semper inferior discesserit fauor, odiique partes visae fuerint romanis potiores, recte inde infero, eandem bigamiae speciem Iure romano, negotiis minus honestis fuisse adnumerataam. Poenarum recensionem, quae binubis in Iur. rom. erant destinae, transcribere non iuuat, cum eandem facile in ipsis legum verbis deprehendamus: potius paucis dispicere liceat, quae tandem fuerit huius odii causa? Nullus ego adduci possum, quin credam, causam odii in eo solum positam fuisse, quod Romani a studio πολυτελειας abhorruerint, adeoque praemia orbitati et coelibatui proposuerint. Quemadmodum enim haecce opinio conueniret, cum ipsius legis Papiae Poppeae ratione? quae praeter intentionem urbem Romam, robore Iuuentutis ob tot bella destitutam, nouis audagere ciuibus, alias suae sententiae causas habuisse videtur. Haud minimam huius odii causam fuisse credo, quod coniux superstes coniungi demortuo eandem exhibere teneatur fidem, quam viuo praestitisset. Sane multum derimenti capiebat reuerentia, si vxor post obitum mariti, quem in eius manum conueniendo, parentis loco tanquam filias familias suspicere debebat, alienis amplexibus inhaereret, alienoque debacharetur amore. Cum etiam secundis nuptiis, studium illud flagrans, romanisque innatum, domesticorum sacrorum rationem perficiendi, familiasque conseruandi, desiceret, satis id causae ipsis videbatur, omne, quod ex transuerso obiiceretur, remotiendi impedimentum. Haec quidem, quae fuerit Iur. rom. huius bigamiae moralitas, dixisse sufficiat. Propius venio ad ea, quae in Iure Germanico hac de re habentur, quaeque perlustrare non modo postulat, verum etiam eslagitat ratio instituti. Felicitati enim nostrorum temporum adscribendum est, quod, cum seculo superiori excoli coepert diligentius Iurisprudentia



tia germanica, iis nos expeditos videamus difficultatibus, quas
huius iuris ignorantia secum ducere suevit. Insigne erat, Ger-
manis etiam, proliis dignitatem studium, quam quidem, vti
omnes tunc gentes, maxumam diuitiarum partem reputabant.
Tacitum, huius rei testem habemus locupletem, cum seram
quidem, sed inexhaustam Venerem, Germanis fuisse, scribit.
Qui quidem, licet fides eius hinc inde vacillet, in libello, quem
de Moribus Germanorum, conscripsit, quod non tam histo-
riam Germanorum, quam potius, exemplis ab eorum forti-
tudine atque pietate petitis, Romanis virtutia exprobare voluerit,
in subsidium tamen vna cum augustae historiae scriptoribus,
est assimilandus. Certe id extra omnem dubitationis aleam
positum est, Germanos, vti fortitudinem bellicam, fidem ac
pietatem, ita etiam castitatem, cardinalem reputasse virtutem.
Huius quidem castitatis, qui temere extiterat violator, maio-
ris iuris infamiae notam vix effugiebat, cum tam malae mentis
praesumptionem, ne quidem per contrarii probationem elide-
re posset, quippe sese facultate, Iureirando purgandi, pri-
uarat. Cum itaque hocce castitatis studium, seram quidem
sed inexhaustam concederet Venerem, facile constat, nuptia-
rum maximum in Germania fuisse fauorem, modo inaequalia
matrimonia uitarentur, quibus disparagiis adhuc hodie, inter
eos, qui secundum veteris Iuris germanici principia viuunt,
illustres puta, omnis Iuris publici effectus denegantur. An
vero aequa tantus fauor manserit bigamiam successuam, anceps
est quaestio, facile in utramque partem disputanda. Nulla
equidem nuptiarum solemnitas, retardabat quendam, si repe-
tere vellet, nouum matrimonium, quippe, si quae interueni-
re debebat, eam tamen non tam necessitatis, quam honestatis
causa fuisse adhibitam, cuius constat. Conscendebatur Tha-
lamus; et id sufficere videbatur ad tori possessionem adipi-
scen-



seendam. Nec maiorem videas difficultatem in ea, quam haberunt Germani, graduum computatione, quae coniugem superstitem a proposito, nouas repetendi nuptias, deterrere potuisset; quae quidem eorum computatio, quomodo in Ius Canonicum transierit, elegantissime ostendit Excell. Hommelius in Oblect. Iur. feud. obseru. XV. Haec iam pro affirmativa sententia militant. Maximum vero isti sententiae accedit robur, ex Iure, quod vocant, Hagenstolziatus, cuius usum, omnem fere Germaniae oram occupasse, scite, ut sollet, docuit Schottelius. Nec nostra aetate, rarior fuit huius iuris usus, cum non ita pridem in terris Hannoveranis sit abrogatum. Patet vero ex hoc iure, non solum coelibatui in genere poenas fuisse praestitutas, verum etiam iis, qui secunda vota per triginta annos distulerant, volente ita iure, nec testamenta condere, nec bona alio modo in aliun transferre permisum erat. Accedit, quod, cum Germani ab illo, (quem Tacitus Cap. 20, mortem tantum diuortii causam habendi, descripsit) more paulatim recessissent aliaeque dissoluendi matrimonium causae introducerentur, semper superstiti coniugi lieuerit, nouum sibi socium adsciscere. Id enim eo facilius procedebat, quo facilior erat modus, bona vtriusque coniugis habere distincta, cum vxori reddebat, quicquid faderphii loco marito attulerat, maritus vero retinebat dotem suam germanicam. Egregie etiam, hunc secundarum nuptiarum in Iure germanico, fauorem confirmat Ius prouin. Sax. in Lib. II. Art. 23. his verbis: Dieweil ein Mann ohne Weib nicht wil sein, noch mag, so mag er gar wohl mehr ehliche Weiber nemen, ob im wohl drey Weiber zuvor todt sind oder viere oder mehr ic. Quo magis horum verborum vim atque potestatem contemplor, eo facilius a me possum impetrare, quin Nuptias secundas in Iur. Germ. eo, quod vulgo praetenditur,



tur, odio, non prosequutas fuisse, ingenue credam. Rationes, cur haecce verba me ita credere, adduxerint, colligam, cum, qui aliter sentiunt, habeant, quae digna rependere possant. Eccius de Rebicouio, tenacissimus ille patrii moris cultor, cui omnem fere, quam hodie habemus, acceptam ferimus, germaniae Iurisprudentiam, suo, quod conscripsit, speculo id efficere voluisse videtur, ut, quae tunc fato, necio quo, iratori certe, germaniae pleno gradu intrauerant fines, peregrinis iuribus obicem poneret eorumque obseruantiam tantisper cohiberet. Mandabat itaque litteris mores atque consuetudines, quas antea tantum filius cum patris hereditate accipere consueuerat. Vt vero multa iuris romani atque canonici capita, ita etiam doctrina de nuptiis secundis, e diametro quasi opposita erat patriis moribus. Quod cum videret speculi Autor, consignandum putabat, quae hac de re Germanis semper fuerit sententia, quamque benigne senserint de Nuptiis secundis, ne quorum arma olim infectis rebus discesserant a Germanis, eorum nunc Iura eosdem deuincent. Sed facile praevideo, quod mihi paratur telum: quod cum ita coniiciatur, ut minus videatur posse vitari, parua tamen declinatione, et ut aiunt, corpore effugiam. Scilicet obiiciant fortasse quidam, quid veteres Germani de hoc illoue Iuris capite senserint, id non esse addiscendum ex speculo Saxonico et Sueuico, nec ex legibus populorum Germaniae in hostico conditis, sed ea de causa, leges antiquissimas runicas, anglicas, sueicas et danicas euoluendas esse. Ista quidem opinio, prouti eandem etiam asserit, Clarissimus Engauius, magnum Iurisprud. Germ. decus, in Iure suo Germ. Proleg., optume sibi constat, quippe non minus specula ista, quam leges in hostico conditae, scatent aliorum Iurium mixtura, turbidamque, riuiulis hinc inde arcessitis, fecere



Iurisprudentiam germanicam. Contra ea, vti Ius nostrum germanicum, meliori iure dici potest, Ius vniuersi orbis, quam quidm romanum, quod illud a seculo quinto, vbi Germani, patriis laribus relictis, incertis vagabantur sedibus, computato, tota fere Europa, dicente ita Grotio adoptauerit; ita etiam leges illae anglice, danicae etc. ius quoddam germanicum produnt, quod omnibus Germaniae populis vnicum atque idem semper fuit. vid. Dreyer de vnu genuino Iur. Angl. Sax. Haec omnia vero meam, quam de fauore secund. Nuptiarum apud Germanos, ex speculo Sax. desumpsi, probationem non tam stringere, quam potius adiuuare videntur. Facile enim largior, in isto speculo, Iuris peregrini deprehendi vestigia: sed non solum Iura peregrina, verum etiam patrii mores iisque maximum partem huius speculi conficiunt. Cum itaque tam peregrina, quam patria Iura ibi describantur, textus vero allegatus de Nuptiis secundis, non pertineat ad Iura peregrina, quod et Ius rom., vii supra vidimus, et Ius Can: vti infra patebit, nuptiis secundis non faueant, prono alveo inde fluit, hunc textum puri puti, vt ita dicam, Iuris Germanici particulam continere. Ex his itaque constat, Nuptias secundas in Iure Germ. non modo non fuisse prohibitas, in quo congruit cum Iure rom., verum etiam negotiis minus honestis non fuisse adnumeratas, in quo, a Iure rom. recedit. Hancce sententiam tueri neutiquam detrectarunt, VIRI de Iure Germanico meritissimi, qui, quamvis expressis non semper verbis id dicant, aliis tamen conclusionibus, quas ex illa sententia elicitas videmus id satis superque satis, docuere. Sic illustris Cocceii Iurispr. publ. Cap. 28. Num. 6., aliquique, viduae Morgengabam competuisse dicunt, explosa eorum sententia, qui eandem tantum in



in solutae zonae virginalis praemium deberi existimant. Quam Morgengabam, cum viduae non denegent, quid aliter volunt, quam, secundas Nuptias, eo, quod vulgo putatur, odio, non habitas fuisse, dare demonstratum. Non minus vero nunc ponderanda erunt, quae pro odio secundarum Nuptiarum ex Iure Germanico afferri possunt, momenta; quorum quidem vim excutere aggrediar, faciamque periculum, quid ferant humeri quid ferre recusent! Communio illa bonorum vniuersalis, quam Stryck in V. M. ff. Tit. de Ritu Nupt. inepte ex Iuribus peregrinis deducere conatur, ita apud Germanos erat comparata, et adhuc est, vt, durante matrimonio, vterque coniux, paria in bonis habeat iura; hoc vero per mortem finito, dominium communium bonorum in coniugem superfitem, vel totum, si nulli extant liberi, vel eius pars tantum transeat, si liberi adsunt, quibus etiam pars est assignanda, qua tamen parte liberis concessa coniux superstes simul vtatur fruatur. Hoc vero Ius vsusfructus, quod in parte communium bonorum liberis concessa competit, statim exspirat, ex quo coniux superstes viduitatis statum mutat. Haec, quae Beyerus testatur in Jur. Germ. Lib. III. Cap. 3. §. 27. odium quoddam olen, quod Nuptias secundas mansisse videtur, cum ipsi etiam coniuges sibi inuicem in ista mutua successione, mutuum amorem, vinculumque amicitiae constituerint, quod arctius erat, quam vt morte alterutrius infringi potuisset. Paroemia enim: Huht bey Schleyer, Schleyer bey Huht, item: Wenn die Decke über dem Kopf ist, ist alles gemein, und Beide gleich, satis produnt, quantum amorem coniux coniugi exhibuerit. Haecce vero omnia, saluo secundarum Nuptiarum fauore, admitti possunt. Nam cum hoc Ius vsusfructus coniugi superstici



steti ob noua vota adimitur, id eo valere non debet, ac si turpe fuerit Germanis noua vota inire (quippe alias eam etiam communium bonorum partem admissent, quam coniux, noua vota repetens, propriam sibi retinebat atque separata in ab ea, quam habebant liberi) sed ideo adimitur, quod liberorum educatio, quae in Iure germ. fundatum habetur v夫usfructus, parentibus competentis, minus recte obtineri poterat per hanc viduitatis mutationem. Deinde minus inde colligi poterit secundarum nuptiarum odium, cum si, nullis extantibus liberis, coniux superstes omnia bona accipit, ac pariter tam adscendentes quam collaterales defuncti excludit, prouti docet Eisenhard. in Iur. Germ. p. m. 94. nullam tamen, ob noua vota, horum bonorum incurrit iacturam. Certe in regula ita valet nec exceptio, vel pacto vel lege quadam municipali, aliter volente hanc regulam infirmat, sed potius firmat in casibus non exceptis. Cum itaque in eo casu, vbi coniux superstes omnia defuncti bona lucratur, nuptiae secundae id non efficiant, ut vel minima pars eorum conjugi adimi debeat, quod nulla subsuerit odii causa; qua quaeo ratione concludere poteris, si v夫usfructus, in parte bonorum, quae liberis competebat, constitutus, nouis nuptiis intercedentibus, coniugi adimitur, id venire ex odio, Nuptiis proprio secundis? Tandem hunc v夫sumfructum nuptiis secundis non ideo cessare, quasi odiosae fuerint, ex eo dilucidius constat, quod haecce communio bonorum vniuersalis eo demum tempore inualuerit, quo Germani non scriptis amplius legibus, sed consuetudine regebantur vid. Eisenhard. Iur. Germ. p. m. 89. ideoque ex eiusdem temporis ratione sit aestimanda. Eo vero tempore, quo apud Germanos boni mores plus valebant, quam scriptae leges, nuptiae secundae odio non habebantur, id quod Speculum



culum Saxonum, in quo eiusmodi Germanorum Consuetudines referuntur, luculenter, ut supra vidimus, ostendit. Alia adhuc sunt, quae fauori secundarum nuptiarum obstant, momenta. Sicco nunc praeteribo pede, quid Icti sentiant de dotalitio, an ob nuptias secundas, illud viduae adimum sit, nec ne? Qui adfirmatiuae sententiae adstipulantur, praeter Paroemiam: daß die Witwe, wenn sie sich wieder verheirathet, mit dem zugebrachten Heyrathsgut von den Witthum abgeldset wird, eam etiam adfirmatiuae rationem alle-gant, quod nuptiae secundae odiosae fuerint Germanis. Sane, cum ante receptum ius romanum non vxor marito, sed maritus vxori dotem attulerit, nec antea dotalitium fuerit in Germania, idem etiam dotalitium ex Iure rom. multum traxisse videtur. Sed hancce sententiam multis refellere, superuacuum foret, cum huius rei otium fecit Excell. Breuning. Venio nunc potius ad statutum quoddam, quod, qui odiosas, putant suis Germanis nuptias secundas, ex Iure Germ. quasi tabulam ex naufragio, relictum esse dicunt. Scilicet in ditione Illeburgensi an. 1017. sancitum legimus: viduam, quae se se vinculo matrimonii adstringere vellet, ad noua vota non esse admittandam, nisi antea praefecto huius ditionis, soluisset summam quandam pecuniae, in sacco qui nullam futuram haberet, comprehensam; qua quidem pecunia, repetiti matrimonii permissionem quasi redimere deberet. Resert hocce statutum Dondorf in Diss. quam Lipsiae 1719. inscripsit: ad Legem Hiddae de Sacco sine futura a viduis Illeburgensis ditionis, soluendo. Si falsi speciem prae se non ferret, quicquid ibidem relatum legimus, multum id, fateor, conduce-ret, ut facili admodum negotio, odium quoddam nuptiis secundis affingere possis. Nam vel auro carius habentur statuta, quorum aetas cadit in tem-

C

pora



pora seculi vndecimi , cum , quia non vbiuis prostant obuia,
 tum maxime , quod ex horum temporum statutis vera ac
 haud infucata Iurisprudentia Germanica elici possit . Vt
 vero Hiddam fictam esse putat , ita omnem fidem huic char-
 tae denegat Riccius in dem Entwurf vom Stadtgeszen p. m.
 273. Nec id sine ratione . Id enim genus monetae , (Schre-
 ckenbergeros vocant) quod huic sacco sine vlla sutura confi-
 ciendo , erat inferendum , seculo demum decimo quinto in-
 notuit , sanctio vero allegata , quae tale genus monetae flagi-
 tat , ad annum 1017. refertur . En videoas falsi crimen , si re-
 dius computes temporum rationem ! quod cum tam elegan-
 ter detectum sit ab eo , quem allegauit , Riccio , nullum certe
 cordatioribus praebebit subsidium , ex quo odium secunda-
 rum nuptiarum deducere possent . Neque me isthaec cum
 Riccio sentiendi , impedit , quod , licet haec sanctio demum
 initio seculi decimi quinti sit conscripta , licet ab obscuru
 homine fuerit composita , nouioribus tamen legibus Saxonis
 repetita inueniatur . Reperies eam in der Tax-Ord. wie die
 Gebühren in den Amtern sollen moderirt werden . de an.
 1612. exstat in Corp. Iuris Sax. p. m. 599. Ibi enim sub Ar-
 ticulo des Amtes Eulenburg ita refertur : Sieben Groschen
 Geld giebt eine Witwe , die sich in oder außerhalb der Stadt
 wiederum verschliget , dem Amts - Verwalter , 4. Pfenge
 dem Lands - Knecht neben einen Beutlichen , eines oder zweyen
 Pfengen würdig . Sed haecce verba , nec veritatem istius
 chartae demonstrant , seque ad eandem referunt , nec si se
 referrent , odium quoddam nuptiarum secundarum in se
 continerent . Etsi enim concedamus , hanc viduae binubae
 obligationem non proprie pertinere , ad sumtuum iudi-
 cialium classem , quae ibidem recensetur , sed respicere
 paeprimis chartam illam veterem ; quid tandem inde
 aliud

aliud fluet, quam sese referunt ad chartam istam,
 haecce vero sit supposita, ipsa etiam verba nihil plane
 probare. Si vero allegata verba, illam chartam non
 respiciant, sed per se valere ac ipsamet vim legis habere
 debeant, nec inde odium istud arcessere poteris, cum statu-
 tum nouius de an. 1612. vestigia Iuris veteris germanici in se
 continere non potest. Ita Ius germanicum causam sistit biga-
 miae successuiae. Paucis nunc videamus quid Ius can. hac
 de re sentiat. Nullo certe Iure maior inuenitur matrimonii
 fauor, quam Iure can.: Pontifices enim, cum, quicquid ab
 humanis laudibus proficiscatur, vilius putarent, quam ut eo-
 dem condecorari possit matrimonium, vel sacramenti nomi-
 ne idem insignire non erubuerunt. Ex hac sacramenti idea,
 quae matrimonio inesse putabatur, mirum quantum reipublicae
 ciuilis rationes conturbabantur, multaque proueniebant con-
 clusiones, quas adhuc in Dicasteriis nostris obseruari depre-
 hendimus, reiectis licet earum principiis. Sic reiicimus di-
 visionem in clericos ac laicos, reiicimus ordinis sacramentum;
 nihilominus tamen iis, qui sacris apud nos operantur, praedi-
 catum derer Geisslichkeit haud denegandum esse, censemus.
 Pari ratione, quamuis, explosa sacramenti idea, matrimo-
 nium negotiis tantum ciuilibus adnumumeremus, iuramentum ta-
 men et, quae ad dissoluendum tendit matrimonium, trans-
 actionem plerique non admittunt. Cum itaque Ius can. in
 matrimonio sacramenti ideam sibi inuenisse videretur, ab eius
 vero vsu nemo debeat excludi, mirari quemuis subit, cur ab
 vsu matrimonii Clerus indistincte, ab eodem vero repetita vi-
 ce ineundo, non quidem abstractus, sub specie tamen ma-
 tritis sanctitatis retardatus fuerit, qui ecclesiae nomen dedisset.
 Vis enim sacramenti impedire non poterat, quo minus ma-
 trimonii vsus quibusdam concluderetur limitibus. Clericis

qui-



quidem in totum interdictus. Huius rei causam petebant ex ecclesiae iudaicae formula, cuius antiquitatis scientia tantum habet utilitatis in Iure can. probe intelligendo, quantum romanorum antiquitatem, ad Iuris romani explicationem adiumenti adferre, videmus. Evidem admitti possunt, huius prohibitionis rationes, quas ex usu sacrificii iudaici, in ecclesiam christianam recepti, elicere student Pontifices. Eo autem minorem allegare possunt causam, cur Nuptiis Laicorum secundis tam male cupiant. Ipsi enim mirum quantum abominantur Iuris rom. scita, damnantque errorem, quo Origenes, cum Nuptias secundas asserebat prohibendas, turpiter fese dederat. vid. C. pen. et vlt. X. de sec. Nupt. Et, si regius attendamus, omnia in eo insumunt concludendi argumenta, quo eo minus odium illud prodant, quod tamen Nuptiis secundis, abesse non posse, quavis oblata occasione, ostendunt. Nam, cum Nuptiis secundis denegant, benedictionem sacerdotalem, id eo interpretari nolunt, ac si odiosae illae essent, sed quod eadem, primis Nuptiis impertita, semper duraret. Solis itaque patribus ecclesiae, adscribendum est, quicquid tam male sistit bigamiae successivae causam, cum illi, hiulcis quamvis ratiociniis, ex studio continentiae in sacris litteris descripto, eandem extirpandam esse assererent. Tam varia sunt variorum, quibus utimur, Iurium argumenta! Executienda nunc veniunt fori nostri, rationes, quae quales sint, quamque parum cum haec tenus disputatis conueniant, coronidis loco dispiciamus. Nullo odio apud nos prosequuntur, Nuptiae secundae, sed iisdem gaudent praerogativis, quae primis competere solent, cum, quia nec iure diuino naturali, nec positivo interdictae intueniuntur, tum, quod, quas Iura supra descripta, aliter sentiendi causas allegant, nostri fori rationibus haud conuenire videamus. Subinde tamen interueniunt

❧ ♚ ❧

21

nunt casus, qui ab ista regula deflectere possunt, non ideo quidem, quod odii causa subsit, sed quod vel vis pauci, vel conditionis adiectae euentus omnia alia velle videatur. Legatum enim, quod sub conditione viduitatis resinquitur, non alio modo deberi existimant complures, nisi cautio Mutiana de non iterandis Nuptiis praestetur. Quam tamen opinionem ex ipsius Legis Iuliae Miscellae indole, hodie non admittendam esse, alii fortioribus argumentis euincunt. Sic ad nostra usque tempora ne tantillum quidem legi derogatum est, quae et defuncti coniugis memoriam pie colere, et intra anni spatium nouis votis abstinere iubet, quamvis nostrates meliora edocti, non eam abstinenti causam habeant, quam Romani, sed soli prospicere velint honestati.





Haec sunt, PARENTS OPTUME ac
DEVENERANDE, quae TIBI
gaudendi gratulandique causis instructus, duxi
offerenda, quaeque, sanctius illud nomen pie-
tatis a me flagitare videbatur. Cum enim in
eo meae semper euigilant cogitationes, vt,
quam TVO Iure TIBI iam vindicare potes,
obseruantiae atque venerationis testificationem,
sine vlla vel temporis vel loci exceptione TIBI
exhibeam, id lane multo iucundissimum lon-
geque carissimum euenit mihi, quo occasio-
nem mihi video subnatam, non solum arbitris
remotis, verum etiam publice demonstrare,
quanti TE colam, quantumue TIBI de-
beam. Accipias itaque serena fronte hoc qua-
leunque meae in TE pietatis monumentum,
quocum ad TE accedo, eo die, quem mihi

ex



ex illis, quos in hac vita vidi laetissimos, illu-
xisse praedico omnium exoptatissimum! Vt cun-
que illud erit, iuuat tamen, officii persancti,
cuius lege TIBI teneor, in ipsa TVARVM
quas denuo iteras, Nuptiarum festiuitate, me
habuisse rationem, quae vt TIBI optume ce-
dant atque sint auspicatissimae, summum Nu-
men supplex obtestor, ita, vt TE, TVI que
tori nouam SO CIAM non solum omni felici-
tatis genere cumulet, verum etiam, explicatis
horum temporum difficultatibus, omnem a
VOBIS depellat calamitatis notam. TE ve-
ro, OPTVME PARENTS, id cupio roga-
tum, vt, quam in TE mihi nunquam clau-
sam sensi, benevolentiam semper exhibeas.
Hanc quidem et in eo dilucidius, experiar,
si me meaque studia SENATVI ciuitatis Gu-
benensis AMPLISSIMO de meliori commen-
des,



des, eique p^{rae}primis, qui huic nunc p^{rae}-
est, SCHWARZIO, quem talem natus
sum Fautorem, qualem non peruersa adulan-
di ratio, non mea in Ipsum merita, sed pro-
pensa beneficiendi voluntas, et exoratum nu-
men mihi dedit! Dabam Lipsiae Non. Ian.

M D C C L I X.



ges

140

ULB Halle
005 814 057

3



MORAI

S

P A V

PRAENOBI

ERNI

L

PAREN

NVPTI

E

EASQV

CHRISTIAN

Chr 3341

EX

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

